



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ōrigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Hapanta Ta Hellēnisti Heuriskomena

Origenes

Coloniæ, 1685

Lvdovico XIV. Regi Christianissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79842](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79842)

LVDOVICO XIV.

R E G I

CHRISTIANISSIMO.

 *VAM* aduersa, dum vixit, fortuna
conflictatus est eximius ille Ecclesiarum
magister Origenes, CHRISTIANIS-
SIME REX, natus olim difficillimis
reipublicæ Christianæ temporibus, tam
prosperam hodie renascendi sortem habet: ut si reci-
piendæ vitæ, & hominum conspectus iterum subeun-
di sibi optio detur, non alias quam regnante te, non
alibi quam intra Imperii tui fines in lucem redire ve-
lit. Nam cum in Commodi, teterrimi Imperatoris, ty-
rannidem incidissent natales eius, Seueri deinde, no-
mini Christiano infestissimi, sæuitiam expertus est, amis-
so per martyrium patre, facultatibus attritis & fisco
addictis. Tum Demetrii Episcopi in se acuit inuidiam,
a quo Synodis collectis Alexandria pulsus est & sacer-
dotio

dotio exauctoratus, consentiente in eius exitium orbe
propemodum vniuerso. Continuit postea sese in late-
bris, vexante Ecclesiam Maximino, ac Decii furoribus
demum obiectus grauissimos cruciatus sustinuit. Præ-
tereo Caracallæ impietatem & auaritiam, Elagabali
flagitia, proiectam & infinitam militum licentiam, pro-
stitutas leges, vendibile Imperium, humana diuinaque
iura neglecta vulgo, rerum omnium perturbationem:
quæ fuerunt eiusmodi, ut Origenem vitæ suæ pænitere
debuerit. Quanto nunc ei benignius consilii fortuna,
quem luci iterum committit hoc tempore, cum floret
patrocinio tuo Christiana res; cum auctoritate tua ac
consiliis exarmata languet Hæresis, & ad interitum
vergit; cum elati victoriis, & ipsi iam imminentes
Germaniæ Christi hostes tuis refutantur armis; cum
suis pietati per te honos ita constat, ut quas eius prædi-
cat laudes, quæque ad eam comparandam præcepta
dat his tomis Origenes, nulla, si quid auguror, ad au-
diendum paratior ætas, nulla ad obsequendum prom-
tior hac nostra futura sit? Ecquænam vero animis
ad virtutem arrigendis, vitiorumque elidendis stirpi-
bus, commodior queat esse tempestas, quam qua restitu-
itur cura tua maiestas legum, emendantur mores, seue-
riori disciplina comprimitur insolentia militaris, coer-
cetur immanis mancipum auaritia, redduntur ordini
sui singuli regni partes, quæ te impubere vel collapsæ
fuerant vel labefactatæ? Porro si jam non per animi
sui fœtus, scriptiones istas dico, in quibus quodammodo
reniuit Origenes, sed ipse coram tibi nunc appareret,
REX

o. i. b.

REX MAXIME, non te civilis duntaxat discipli-
næ studiis clarum, sed bellicis etiam & imperatoriis
laudibus illustrem suspiceret, dum inclinatis fœdera-
torum copiis, & afflictis ciuitatibus, quæ ad tuam se
applicarunt societatem, opportuna subministras auxi-
lia, hostes terra marique pulsos domas, & inuictum il-
lud ac tot iam bellorum tempestatibus frustra quassa-
tum Belgium, dum ius tuum armis exequeris, primo
pene impetu percellis. Cum te vero non imperatoris
modo partes agentem, sed militis etiam explentem vi-
ces; non consilii modo plenum, sed etiam manu fortem,
sacrum illud tuum & augustum caput, cuius salute Im-
perii totius continetur salus, plumbo ferroque audiret
ultro obiicere; horreret, scio, totus, ac contremisceret
versari eum in discrimine, cuius incolumitatem de-
bent omnes periculo suo pacisci. Sed nec memorabi-
lem hanc fortitudinem ac victorias tibi præcipue gra-
tularetur Origenes: in præliis quippe res magno comi-
tatu geruntur, & a consilio ad vim abeunt certan-
tium, proptereaque communes tibi sunt cum militibus
& fortuna; hæc tui sunt unius propria, quæ lauda-
ret impensius & miraretur: magnanimitas vere re-
gia, iustitia singularis, spectata fides, expromta libera-
litas, experfectus animi vigor, magna corporis digni-
tas, & imperio digna oris commendatio: quæ talia
sunt, ut te communi generis humani suffragio orbi u-
bernando allegandum fuisse agnosceret, si non diuini-
tus muneri huic datum esses ac constitutus. Non in
alterius igitur præsidium has eius lucubrationes
com-

commendare debeam, si sententiam ipsius ac studium,
quo nunc si viueret, in te esset affectus, recte interpre-
tor: cum præsertim Bibliothecæ tuæ beneficio ab inter-
itu prohibitas eas esse meminerim: cuius postquam
exierunt e sacrario, redire illuc gestiunt nouo cultu
conspiciendæ, qualem scilicet curatura nostra ac dili-
gentia consecutæ sunt. Quod si laborem opinione ma-
iorem in ornandis iis posuisse me profitear, inepte for-
sit an & arroganter operam meam venditauero apud
te, vere tamen dixero: non quo fecisse me quicquam
existimem Maiestate tua dignum, cui par nihil habet
orbis terrarum; sed ut hoc quod nobis præstas otio ad
desidiam me non abuti scias; & postquam ad littera-
tos accessit tua voluntas, temporumque iniquitate pro-
pe interclusam studiis nostris obsequendi facultatem
benignitate tua aperuisti, nos ad nominis tui gloriam,
qua dignus es, & ad publicam utilitatem, cui studes,
curas nostras omnes conferre intelligas; & facere sedu-
lo, porroque facturos, ut virtutis tuæ ac nostræ volun-
tatis apud posteros extet memoria, clarissimisque &
nunquam perituris monumentis consignetur.

SACRÆ MAIESTATI TVÆ

Deuotissimus

PETRVS DANIEL HVETIVS